



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

titulum in ecclesiis, monasteriis, siue quibuslibet aliis piis locis de nouo usurpare conantes, bona ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare presumunt, quantumcumque dignitatis honore præfulgeant, clericos etiam ecclesiarum, monachos monasteriorum, & personas ceteras locorum eorumdem qui haec fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ subiacere. Illos vero clericos qui se ut debent talia facientibus non opponunt, de prouentibus ecclesiarum seu locorum ipsorum, pro tempore quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere distictius inhibemus. Qui autem ab ipsarum ecclesiarum ceterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine iura sibi huiusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis sollicitate faciant abstinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus siue redditus prouenientes vacationis tempore non usurpent, nec bona cetera, quorum se assertunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conseruent.

XIII.

Idem in eodem. Licet Canon a felicis recordationis Alexandro papa tertio prædecessore nostro editus inter cetera statuerit, ut nullus regimen ecclesiæ parochialis suscipiat, nisi vigesimumquintum annum ætatis attigerit, ac scientia & moribus commendandus existat, quodque talis ad regimen assumptus huiusmodi, si monitus non fuerit, præfixo a Canonibus tempore in presbyterum ordinatus a

GREGORIVS LVGDVNENSE II. RVDOLPHVS I. IMP.
P. X. PHILIPPVS III. R. FRANC. 565

ANNO CHRISTI
1574 regiminis eiusdem amoueatur officio, & alii con-
feratur. Quia tamen in obseruatione Canonis me-
morati se multi exhibent negligentes, nos pericu-
losam illorum negligentiam volentes iuris execu-
tione suppleri, præsenti decreto statuimus, vt nul-
lus ad regimen parochialis ecclesiæ assumatur, nisi
sit idoneus scientia, moribus, & ætate. Decernen-
tes collationes de parochialibus ecclesiis, iis qui non
attigerunt vigesimumquintum annum de cetero
faciendas viribus omnino carere. Is etiam qui ad
huiusmodi regimen assumetur, vt gregis sui crediti
diligentius gerere curam possit, in parochiali ecclæ-
sia, cuius rector extiterit, residere personaliter te-
neatur. Et infra annum a sibi commissi regiminis
tempore numerandum se faciat ad sacerdotium
promoueri. Quod si infra idem tempus promotus
non fuerit, ecclesia sibi commissa, nulla etiam præ-
missa monitione, sit præsentis constitutionis au-
toritate priuatus. Super residentia vero, vt præ-
mittitur, facienda, possit ordinarius gratiam dispen-
satue ad tempus facere, prout causa rationabilis id
exposcet.

XIV.

Idem in eodem. Nemo deinceps parochiale ecclesiam alicui non constituto in ætate legitima & sacerdotio commendare præsumat. Nec tali etiam nisi vnam, & euidenti necessitate, vel vtilitate ipsius ecclesiæ suadente. Huiusmodi autem com- mendam, vt præmittitur, rite factam declaramus vltra semestris temporis spatium non durare. Sta- tuentes quidquid secus de commendis ecclesia-

B b b iij